

TRACTATUS ARISTOTELIS
de Practica lapidis Philosophici, incipit.



Vm omne corpus secundum Philosophum, aut est elementum, aut ab elementis generatum, nostro magisterio summè necessaria est generatio: ipsa autè non nisi ex quatuor naturis quæ sunt quatuor elementa, consistere potest. Elementa verò quatuor sunt, aër, aqua, ignis & terra, sine quibus generatio omnis priuatur effectu. Elementorū nanq; duo sunt lapidea, & duo aquatica: lapidea quidè sunt ignis & terra: aquatica verò, aër & aqua. Eorū quoq; duo sunt amica, & duo inimica. Terra & aqua sunt amica: ignis & aqua sunt inimica.

Fac ergo pacem inter inimicos, & totum habebis magisterium. Sed pacem inter elementa facere non potes, nisi per cōuersionem eorum ad inuicem. Ea autem ad inuicem bene conuertere est bene possibile. Quia vt dicit Philosophus: De aptitudine omnium elementorū, est vt mutantur ad inuicem. Nam ignis mutatur in aërem, & aër in aquam. Sic ignis mutatur in aquam, & aqua in terram, & econuerso.

Conuerte ergo elementa, & quod quæris inuenies. Nam nostra compositio, vt dicit Morienes, est naturarum mutatio, & earum calidi cum frigido, humidi cum sicco admiscibilis connexio. Aquæ enim frigiditas, & ignis caliditas, aëris humiditas & terræ siccitas ad inuicem concorditer ligata, integrum scilicet primum constituunt generatum. Sunt namque elementa, vt dicit Philosophus, circulariter cōuersiua. Et ideo generantur & corrumpuntur ad inuicem, sed hoc quod non nisi operatione & regimine perficitur.

Modi verò operationum sunt quatuor, puta, lapidis dissolutio in aquam spiritualē, lapidis separatio in statum spiritualē, lapidis reductio in terram naturalem, & lapidis desponsatio in calcem spiritualem.

Lapidis dissolutio fit per contritionem: lapidis separatio